

PHILOSOPHIÆ IN THEOLOGIA TUM USU TUM ABUSU.

Quam,

Divinâ Providentiâ dirigente,

NEC NON

*Amplissimâ Facultate Philosophicâ in Regiâ Academiâ Abo-
ënsi consentiente & approbante;*

Pro gradu Magisterij Philosophici consequendo, can-
didè ad publicum defert examen:

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi atq; Consultissimi VIRI

DN. MICHAELIS GyllenStålpes/
Hæred. de Jafolla & Kerrenheim/ J. U. & Phil. Doctoris Inely-
ti, nec non Politices ac Histor: Profess: Publici celeberrimi, Me-
cœnatis, Præceptoris & promotoris sui, summâ obser-
vantiaâ ætatèm colendi

PAULUS SIGFRIDI JERONIUS
BOTHNIENSIS.

*In Auditorio Majori, ad diem 7. Majj Anni rep. sal.
1656, horis ab 8.ª matutinis.*

A B O Æ

Excusa à P E T R O Hanßon/ Acad, Typog.

Plurimum Reverendo & Excellentissimo Viro

D. M. NICOLAO LAURENTII

NYCOPENSI, Regiæ Universitatis Aboæ S. S.
Theol. Professore celeberrimo, Pastore Ecclesiæ in Sagu longè
meritissimo, & hæctenus Nutritio suo liberalissimo, Patris
adinstar æterna animi veneratione suspiciendo.

N E C N O N

Speclatissimis, Prudentissimis Politissimisq; Viris,

DN. JACOBO JOHAN:

NYCARLO Bothniæ Orien-
talis, & Fenningiæ septentrio-
nalis Legislatore Equissimo

DN. CONRADO Boch

möller in Nycarl: Consuli ho-
noratissimo.

DN. DANIELI Swartt/

in S. Carl: Consuli maximè
industrio.

DN. ANDRÆ GEORGI

LITRÆO, Civitatis U-
loënsis Consuli eximio.

DN. HENRICO Kortt/

in Brahe Stad/ Consuli di-
gnissimo.

DN. MATTHIÆ LAU-

RENTII, Prætori & exas-
ctori in Pphåjosi multum ho-
norando.

*Illi Evergetæ, Patrono, hisce promotoribus, fautoribus,
& amicis, hanc dissertationem Philosophicam sub-
misit, per officiosè & amicè dedicat & offert.*

Paulus Sigfridi Jeronius,
Bothniensis.



Auspice IESU.

SECTIO PRIOR

*Philosophia in Theologia Verum ac Salutarem
usum exhibet.*

Theſis I.



Verissimum est Philosophiæ in Theologiâ
usus, qui ut rectius percipiatur, præmit-
tenda venit Philosophiæ Partium divisio.
Philosophiæ partes sunt in duplici diffe-
rentiâ, vel enim sunt *Instrumentales* vel
Reales. Instrumentales Grammatica, Rhetorica, Lo-
gica. Reales sunt vel *Theoretica*, ut Metaphysica, Phy-
sica, Mathesis. Vel *Practica*, ut Ethica, Politica, Oecono-
mica. Primum itaq; Deo Juvante, Philosophiæ parti-
um Instrumentalium, deinde Realium in Theologiâ U-
sum monstrare tentabimus.

Instrumentales quod spectat, magnoperè est futu-
ro theologo utilis & necessaria cognitio *Grammatica*, præ-
sertim Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ. Illius propter V.
T. quod primitus Hebraicè est traditum; Istius propter
N. T. quod Græcè ab Evangelistis & Apostolis est ex-
aratum; Hujus ob varios interpretes latinos, & cum pri-
mis lectionem patrum, quorum præstantissimi libros à
se conscriptos latino idiomate reliquerunt posteritati.

Rhetorica notitia in eo qui aliquando docturus est populum vel primo loco requiritur, propter eloquentiæ præcepta & figuratas quæ in Scripturis haud rarò occurrunt locutiones, decet omninò concionatorem, præmissis seriis & ardentibus ad Deum precibus, non modò verbis quibusdam elegantibus, verùm etiam copiâ eorundem locupletatum ad dicendum prodire; etiam si magis optabile adesse benedicendi facultatem ingenitam, quàm præceptionibus acquisitam; quod interim natura non suppeditavit, studio atq; arte pensari æquum est, ars naturæ æmula naturam adjuvat.

IV.

Logica cognitio futuro theologo est utilis, partim ob definitiones, divisiones, argumentationes, methodum; Partim ob solidam ac nervosam sophismatum adversariorum, cum quibus theologo in arenam descendendum, solutionem; Ut distinctè & ordinatè res theologicas proponere, quæstiones controversas dilucidius exponere, evidentius easdem conformare, contradicentibus os obstruere, adversariosq; pressius theologus refutare possit. Hæc de instrumentalibus, sine quibus nec purè loqui, nec ornatè dicere, nec legitimè definire possumus: quæ tamen erudito theologo apprimè necessaria summèq; utilia esse, non inficias ibit, nisi is cui oculi acies quidem pulchra, mens autem cæca, brevissimè dicta sunt.

V.

Reales quod attinet, requiritur in futuro theologo notitia Philosophiæ Theoreticæ, utpotæ *Metaphysica*, quæ terminos nonnullos explicat, qui in Scripturis passim occurrunt, Sic V. g. Ens, unum, verum, bonum sunt tremi-

ni Metaphysici, ideo etiam ad illorum explicationem confert operamq; præstat eximiam Metaphysices cognitione. Notantèr verò diximus in quorundam terminorum explicatione Metaphysicâ theologo inservire, sunt enim termini quidam merè theologici, quorum explicatio non nisi ex sacris fontibus commodissimè decerpitur.

VI.

Physica non pauca habet, quæ turpè foret à theologo sicco, quod dicitur, pede præteriri. V. g. Elementa ignis, aër, aqua, terra termini sunt Physici, ideo ex Physicis illorum explicationem petit theologus. Occurrunt modò in Psalmis atq; Job, modò in alijs libris permulti loci, de rebus sublimibus, de arcu cælesti, de ventis, de phasmatibus ac coloribus in aère, de tonitru, grandine, tempestatibus, de pluvîâ, terræ motu, deq; similibus: Item de montibus, de aquis amaris dulcibusve & quibusdam languores depellentibus: Frequens insuper herbarum, fruticum, arborum fit mentio, veluti mandragoræ, hyssopi, sinapis, palmæ, cedri, oleæ, ficus, vitis: adhæc gemmarum non paucæ species enumerantur: Postremò ex animalibus quadrupedes, aves, pisces, serpentes describuntur & munda ab immundis separantur. Passim verò ubi istarum rerum obveniunt nomina seu descriptiones, aut factum aliquod insigne narratur, aut latet retrusâ quædam rerum spiritualium significatio, aut similitudo sive comparatio textitur, nunquam igitur aut simplicem verborum sententiam, aut reconditum mysterium, aut similitudinis rationem propriè ac dextrè eruet, qui Physiologiæ partibus excolendis tempus aliquantum non tribuerit.

VII.

Mathematicum cognitio etiam conducit futuro theologo,

logo, præsertim *Arithmetica*, quâ utpote nullum propè vitæ genus, itâ theologus carere non potest, crebrò autem res postulat, præcipuè quando leguntur historiae; ut diligenter anni & tempora numerentur atq; diversæ inter se conferantur eruditorum hominum supputationes De profectionibus patriarcharum, Israëlitarum in deserto, Apostolorum &c: de cursu stellarum, de Orione, plejadibus commodius differere possit theologus, si aliqua *Geographiæ* & *Astronomiæ* cognitio habeatur. *Musica* quoq; cognitio theologo est necessaria. *Mathesi* igitur theologus prorsus carere nequit.

VIII.

Requiritur etiam in futuro theologo notitia *Philosophiæ Practicæ*, (1.) *Ethica*, quæ commonstrat & ostendit, quæ virtutis in genere vel hujus aut illius, in specie sit natura, definitio & distinctio, quod revera magnū est. (2.) *Politica*, quatenus theologus est subditus & aliquando comitijs regiis cum laude & fructu interesse cupit: (3.) *Oeconomica*, ut se suamq; familiam benè dirigere, honestè alere atq; sustentare possit. Non arbitror posse præesse Ecclesiæ, qui domui suæ rectè non præsit.

IX.

De utilitate cognoscendæ *Historiæ Ecclesiasticæ* notum est quod multis dicamus, cum nemo sanioris judicij de eâ dubitare possit, facit enim (1.) ad explicationem *Historiæ Sacræ*. (2.) testatur de conservatione Ecclesiæ contra hæresium & persecutionum oppugnationes. (3.) Exempla virtutum ac vitiorum, præmiorum & pœnarum exhibet. (4.) honestâ recreatione mentem exhilarat, animum demulcet ac studia graviora temperat.

X.

Multiplex est Philosophiæ in Theologiâ usus, sed multiplex etiã idemq; pestilentissimus illius in eãdem abusus. Eò prorcul dubio respexit D. Apostolus cum postmodũ ex custodiã Romanã ad Colossenses scribens graviter eos hortaretur ne quis per Philosophiam eos seduceret. Verba admonitionis sunt emphatica Col. 2. v. 8. *βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἐσαυδοσυλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας.* Verbum *βλέπετε* innuit proclivem hic esse lapsum, ideo singularem curam & attentionem hic adhibendam præcipit. Sensus igitur Apostolicæ admonitionis est non de vero ac salutari Philosophiæ usu, sed de ejusdem abusu, non de Philosophiã in abstracto sed in Concretò, de seductoribus Philosophiã abutentibus, *Usus enim laudem, crimen abusus habet.* Philosophia igitur hic quatenus est inanis deceptio ab Apostolo prohibetur.

XI.

Abusus committitur (1.) Quando Præparatoria illa mentis per Philosophiæ studium cultura, salvificæ fidei principium statuitur, atq; efficienter ad interiorem S. Sancti illuminationem concurrere judicatur. Atquĩ divinus ille effectus interior ac Spiritualis mentis illuminatio nusquam in scripturis tribuitur medio Philosophiæ, sed soli verbo revelato.

XII.

(2.) Quando in terminorum explicatione Magistrum aliquod Philosophiæ tribuitur, ac postulatur, ut theologus judicium de terminis ex Philosophiã transsum-

tis in solidum committat philosopho. Sic Philosophiæ abusus est quando Pontifici dicunt justificationem consistere in justitiæ infusione & justorum operum productione.

XIII.

(3.) Quando Philosophia non amplius servit & ancillatur, sed dominatur Theologiæ, id est, quando exoticis suis regulis contra assertiones theologicas argumenta format, & contra veræ παιδείας τρόπον μετάβασις εἰς ἄλλο γένος committit. Itaq; non debet magisterii sibi arrogantiam arripere, sed velut ancilla Domine quodam familiaritatis obsequio subvenire, ne si præcedit, aberret, & tum externorum verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen & rectum veritatis tramitem perdat.

XIV.

(4.) Quando summa fidei mysteria rationibus Philosophicis confirmare aliquis nititur, prætermissio unico Theologiæ principio quod est Dei verbum. Sic V. g. si quis conetur diversas in divinitate essentias tali Philosophico discursu deducere. Quicumq; differunt personæ, non habent eandem numero essentiam, at Pater, Filius & S. Sanctus differunt persona. E.

XV.

(5.) Quando Sacræ Scripturæ testimonia rationibus philosophicis postponuntur, quasi probatio per Philosophica argumenta sit certior quàm per dicta Scripturæ.

XVI.

(6.) Quando fides salvifica rationibus Philosophicis stabiliri & confirmari judicatur, cum tamen nulla possit esse firmitior probatio fidei, quam autoritas Dei in scriptu-

Scripturis & per Scripturas loquentis, est enim Deus ipsa veritas & verbum ejus est certissimæ & firmissimæ veritatis, imò cœlo ac terrâ stabilis.

XVII.

(7.) Quando in quæstionibus mixtis, in quibus terminus aliquis est Philosophicus, alter Theologicus, argumenta confirmantia ex Philosophiâ peti posse statuitur. Sic quæstio mixta est; An corpus Christi in uno duntaxat sit loco, hujus quæstionis decisio non potest peti ex Philosophiâ, quia Philosophia licet tractet de loco, nuspiâ tamen tractat de corpore Christi, de corpore quidem naturali tractat, sed corpus Christi non est merè ac solum naturale, sed glorificatum, imò ipsius λόγος proprium corpus, quo respectu ipsius conditio omni humanæ rationi ac proinde etiam Philosophiæ est ignota.

XVIII.

(8.) Quando axiomata Philosophica accipiuntur ut generalia ac mysteriis fidei opponuntur, cum tamen sint specialia & in suâ duntaxat Sphærâ obtineant veritatem. Sic Physicus docet corpus naturale non posse esse semel & simul in pluribus locis, id quod verum est in spherâ Physicâ, quando scilicet quæstio est de corpore naturali & de potentia naturæ: Quando vero Calviniani ex hoc principio inferre conantur, corpus Christi non esse præsens in sacrâ cænâ, axioma Philosophicum accipiunt ut absolutè universale & mysterio fidei illud vitiosè opponunt.

XIX.

(9.) Quando judicium de verâ contradictione in mysteriis fidei comittitur humanæ rationi. Sic Calvi-

Vanis contradictoria videntur, corpus Christi esse verum corpus, & esse illud in pluribus locis præsens Photinianis contradictoria videntur, Deum esse unum, & in divina essentia esse tres personas; Christum esse hominem & verum Deum in personæ unitate. Sed hæc reverâ, absolutè & simpliciter contradictoria non sunt.

Atq; hæc du Usu & Abusu Philosophiæ in Theologiâ pro ratione instituti dicta sufficient.

SOLI DEO GLORIA.



*Eruditione, præstantia & Humanitate conspi-
cuo Viro-Juveni*

DN. PAULO JERONIO,
BOTHNIENSI, Philosophiæ Candidato
meritissimo Convictori suo svavissimo, de vero
ac genuino Philosophiæ in S. Theologiâ, u-
su doctè disputanti,

E*N* velut à teneris perdoctâ Palladis arte
Imbueras animum nocte dieq; tuum;
Inclita sic Pallas cinget tua tempora Lauro,
Atq; dabit meritis debitaserta comis.
Accipe qua donat letus Venerande Sacerdos,
Inq; Dei laudes utere mente bonâ.

Quod

*Quod superest voveo, tua coepta, regatq; secundet,
Qui sacro vatum flamine corda fovet.*

Ita
Ex animo gratulatur.

NICOLAUS LAUR: NTCOPENSIS
S. S. Theol. Prof. & p. t. Facult.
Theol. Decanus.



Clara Sophia manet, claram Tu gnavus amâsti,
Hinc inter claros PAULE proinde manes.

*Ita paucis Ven. do & præstantiss. Dño Pa-
triotæ gratatur*

AXELIUS KEMPE.



Præsidi præclaro, pulchrè præclara profaris
Pæridum proles præceptor PAULE polite,
Perge precor posthac pia pignora prodere plura,
Perge placere probis, perversos perdere perge.

Hæcce Charissimo suo Dn. Præceptorî
obser: E. apposuit.

JOACHIMUS NICOLAI
NTCOPENSIS.

The-

Thejologis Sophiae studium quid praestet, a-
mande

Præceptor, doctè differis atq: doces:
Ergo tibi Sophiae studium dat munera clara,
Laurum virtutis: Sicq; beatus eris.

*Ita Dn. Praeceptoris suo medullitus colendo,
gratulari debuit & voluit*

LAURENTIUS NICOLAI
NYCOPENSIS.



Faxit Sancta Tris, Praeceptor de venerande
Ut vivas felix tempora lata diu,

Dn. P, suo debiti honoris ergo
animitus vovebat.

NICOLAUS NICOLAI
NYCOPENSIS.

